Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26236
Copyright: Admont, Benediktinerstift

remuneraretur si in iusticia permaneret. cum utique penam omnino pati non posset si commodum nullum appeteret. Incommodum quippe nichil aliud esse constat. non quod voluntati sue appetitum contrarium esse probatur: Quia igitur homo appetitum iusticie deseruit. appetitus commodi solus illi ad penam remansit. In quo quidem dupliciter punitur: sive cum ab hiis que ordinate appetit restringitur. sive cum ad alia commoda que ordinate appeti non possunt. appetenda relaxatur. In altero est pena. in altero pena et culpa. Mensura enim superioris appetitus in libero arbitrio posita fuerat. mensura inferioris appetitus consistebat in dono. Quam propter illam tenere velle virtutis fuisset. istam autem retinere posse felicitatis. Unde sicut culpa fuit illam non tenuisse. ita pena facta est istam amisisse. In utroque tamen pena et culpa fuit. quia et hic quoque mensuram non tenere. contra iusticiam fuit. Hec autem culpa precedenti culpe pena fuit. quia nisi spiritus in appetitu suo mensuram deseruisset. caro subiecta spiritui ad usus ipsius spiritum in suo appetitu terminum mensure non transiret.

Quare inferior appetitus mensuram non tenet.

DEUS · ETENIM · PRIMI · HOMINIS · corpus sanum et integrum condiderat. Sanum quia nichil in illo erat ad corruptionem. integrum quia nichil ei deerat ad perfectionem. Sed in utroque tali conditione posuerat. ut nec integritas nec sanitas sine amminiculo posset conservari.

Itaque in rebus creatis forinsecus quedam ordinavit. que ad conservandam atque tuendam incolomitatem sive integritatem ei valere potuissent.

Quod spiritui carnis cura iniuncta est.

HORUM · AUTEM · PROVIDENDORUM · cura et officium spiritui quod corpori presidebat iniunxit. Nam sicut deus presidebat spiritui. ita et spiritus presidebat carni. Et ipsa caro iumentum erat spiritus. Et propterea ad sessorem pertinebat. ut iumento suo pabulum provideret ne deficeret. Et hoc solum fortassis tunc sufficere potuisset. Nam modo preter pabulum etiam freno et calcaribus necesse habet. freno quidem ut furientem et precipitem a malo cohibeat. calcaribus autem ut ad bonum faciendum excitet pigram. Tunc ergo solum pabulum ministraris sine freno et calcaribus suaviter portaretur: et si forte frenum ibi esset. quo per se nescia incedere regeretur: nec pungi tamen opus habebat. quia non esset pigra. nec cohiberi quia non esset impetuosa. Quia igitur spiritus sessor erat. iniunctum est ei officium ut iumento suo pabulum provideret. Ne vero in illo exe